





46  
Q. D. B. V.

ORATIO

IN

LAUDEM SACRI ROMANI  
IMPERII LIBERAE

ATQVE

PRINCIPIS HANSICAE  
CIVITATIS

LUBECAE,

SOLENNI RITU HABITA

IN

ELECTORALIS AD ALBIM  
ACADEMIAE

AUDITORIO MAJORI,

à

GOTTH. DE HÖVELN,

Anno reparatae salutis,

D. XXIIX. FEBR. M DC XCVII.

---

WITTEBERGAE,

Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typogr.



G. D. B. N.

ORATIO

IN

LAUDEM SACRI ROMANI

IMPERII

DEO.

PRINCIPIS HANNOVERAE

PARENTI.

ET.

PATRIAE.

GOTT. H. DE HÖVELN.

Anno reparatione salutis,

D. XXIX. FEBR. M DC XXVII.

Typis CHRISTIANI KREUSIGII, Acad. Typogr.





**RECTOR**  
**ACADEMIAE MAGNIFICE,**  
PER-ILLUSTRES ET GENEROSISSIMI  
**LIBERI BARONES,**  
VIRI SUMME REVERENDI,  
PRAENOBILISSIMI, AMPLISSIMI,  
CONSULTISSIMI, EXPERIENTISSIMI,  
EXCELLENTISSIMI, CLARISSIMIQVE,  
PATRES CONSCRIPTI, PATRONI AC  
HOSPITES VENERANDI,  
TUQVE FLORENTISSIMA, IN LAudem PARITER  
AC DECUS PATRIAE NATA, STUDIOSORUM  
CONCIO.



**Imbrorum, Gentis anti-**  
qvissimae fortissimaeq; gloriam,  
Septentrionis Nationes principes Ger-  
manis dubiam, sibiqve vindicare pro-  
priam conati, aevo adhuc nostro,  
A sunt



sunt Scriptores Daniae ac Sueciae, pro *Cimbris* proavis pugnantis. In vasto opere Atlanticorum, inclutus *Rudbeckius* ex *Plinio*, *Strabone*, ac *Plutarcho*, locis indè aliquot in speciem adductis, nititur evincere, extremos *Hyperboreorum* Hominum fuisse *Cimbros*, à *Cimmeriis*, notissimis *Homero* populis, è *Scythiâ*, feliciter progressis, oriundos, ad Sueoniae extremum promontorium, quod hodieqve lingvâ patriâ vocetur *Kimmernäs*, corruptè *Kibbernäs*, *Lapponibus* familiare, habitantes olim. Longum opidò futurum, neque pretium laturum esset operae, si, quas ostentui producit rationes, numero, non pondere praegnantes, à *Cimmeriis* nimirum tenebris, menses sex propemodùm durantibus, ab aëre, à maris frigore constriçto, ab *Atlante* sylvas glacie ac pruinâ albicantes humeris excipiente, à *Charybdi*, *Acheronte*, marium & fluminum voragine, à mundi limite extremo, atqve aliis petitas locis, nunc excuteremus. Danici Auctores contra, ne Geographos Germaniae non planè nullos referamus, & in his *Pontanus*, magnum Orbis literati decus, quiqve de *Cimbrorum Gothorumqve* Originibus, Migrationibus, Coloniis, Bellisqve dudum eqvidem conscripsit libros duos, *Nicolaus Petrejus*, superiori seculo Praepositus in *Synderaas*, proximo hinc tamen anno demum publicatos, è *Gothlandiae* monumentis priscis haustos, nihil intentatum reliquerunt, ut *Cimbrorum* antiquissimorum gloriosè fortiterqve gesta suae vindicarent Nationi. Nec dissimulandum est,



est, ingentem partem *Cimbriae* vetustae Danicis provinciis, per *Futiam* & *Holsatiam*, quæ Regno subest, meritò deberi. Cum his partiamur, propter tot historica momenta, *Chersonesum Cimbricam*, ac memoriam veterum *Cimbrorum* non invidemus illis. Graecos Romanosque testes liceat laudare, *Tacitum*, *Plutarchum*, *Ptolemaeum*, ne de pluribus dicamus; qui Germaniae indigenas fecerunt *Cimbros*. Largiamur hætenus *Herodoto* in Musâ quartâ, admirandas *Cimmeriorum*, per Europam Asiamque olim, expeditiones, & ab his ducamus *Cimbros*, à *Gomero* ipso repetamus nomen: quod vetustis *Celtis* pugnatorem, pugilem, latronem *Italis Gallisque*, nationis victæ, aut afflictæ odio, significabat, testimonio *Pompeji Festi*, & Scriptoris *Chaeronensis*. Certum est, non ignorasse, aut silentio preflisse *Tacitum*, versatum tempore *Vespasiani* in Germaniâ Romanum Equitem, Germanis parte sui maximâ annum erandos *Cimbros*. In, de Germanorum moribus, libello aureo, Germaniae profectò incolas, & partim accolas fuisse *Cimbros*, Sueviae nobilissimum populum, post *Semnonas*, si bellicam virtutem aestimes, fatetur. Proximos Oceano appellat, & Germaniae ingentem habitare Sinum, à Septentrione asserit, ultra ducentos annos, à *Caecilii Metelli*, & *Papirii Carbonis* Consulatu inde, ad *Traiani* Consulatum alterum, florentes armis & victoriis. De Româ ipsâ actum propter *Cimbros*, nisi seculo isti contigisset *Marius*, fuisse, *Florus* candidè testatur.



statur. Si intellexisset vocem Celticam *Plutarchus*, non latronem, sed pugnacem bellatorem, *Cimbri* nomine exposuisset. *Ptolomaeus* (qui sub *Antonino Pio* floruit Imperatore) Gentes Saxonum fortissimas commemorat & ad *Chersonesum Cimbricam* ac Peninsulam, quae hodiè *Holsatia* vocatur, collocat. Tres *Beda* Venerabilis Germaniae validioris Populos appellat, *Saxonum*, *Anglorum*, & *Vitarum*, in historiâ sui seculi Ecclesiasticâ. Fac interim, cum *Sheringhamo*, *Futas* potiùs, quàm *Vitas* oportere accipi ibidem, propter *Ethelwerdi Malmesburiensis*, atque *Huntingdoniensis* lectiones veteres: *Vitarum* tamen nec memoria simul delebitur, nec auferetur sedes; ceu patebit ex consecuturis. Illud modò nobis detur, ad Germaniam potissimum pertinuisse *Cimbros*, *Cimbris* adhaesisse *Anglos*, *Vitas*, imo *Vithones* ac *Suardones*, vicinas nationes. Victae hae in alieno quidem solo à Romanis, sed in proprio invictae permanserunt. Ut transirent etenim Romani *Albim* & ingrederentur *Chersonesum Cimbricam*, induci ratione potuerunt nullâ. Tantum abest, ut à *Chersoneso Cimbricâ*, ad *Rheni* ostium utrumque, id est, oras *Flandriae*, sit nominatum mare Cimbricum, Poëta *Claudiano* teste: *Saxones* videlicet pars etiam *Cimbrorum* extitere, notiores Graecis Romanisque sub *Cimbrorum* nomine. Hinc *Cimbri* non Oceano tantum vicini proximivè, sed *Mediterranei* vocantur pariter. Qui ad *Aquilonem Chersoneso* assidebant, *Ptolemaei* lexico peculiariter appellabantur



bantur *Cimbri*: sicut, qui ad dorsum ejus habitabant, *Saxones*: Romani tamen veteres in universum *Cimbros* salutabant. Bedae oppidum Vitarum aut Jutarum capitale (quod Metropolin Latini vocant), *Sliaswig*, à *Slia* flumine, ac angulo finuque, *Wich*, Saxonico sermone dictum, audit; dum ad Sinum Codanum respicitur, *Pontani* quoque fide. In *Britannicis* antiquitatibus *Lelandus* antiquissimum oppidulum vicinum Chersonesi Cimbricae ad mare Populis, appellat Swar-ton, conditum à Godeschalco Principe Obotritarum, anno reparatae gratiae c<sup>o</sup> XL. *Knipschildius*, ingentis famae Vir, de Urbibus Imperii, *Lubecam* eò loci refert, quae Swartovia initio fit dicta. Patria haec mea nulli non anteponenda charitati, propter meritorum numerum et granditatem, per complura retrò secula, ingenio experiente vires (quas in me exiles deprehendo) frequentanda mihi nunc, & si licuerit, à primis inde seculis ornanda: ut haec Regio vicina *Cimbriae*, *Cimbrisque* mista, et adhaerens natio, à primis velut incunabulis illustrior evadat. Dabo illud operam videlicet, ut pateat, non demum ab *Adolpho I. Schawenburgico*, insigni Comite, ceu fert sententia communis, conditam *Lubecam*, sed & diu ante, inter *Anglos*, *Saxones*, & *Swardones*, cum Gente ipsâ celebrem fuisse. Quod dum parò arduum negotium, à Vobis, **RECTOR MAGNIF. PER-ILLUSTRES ET GENEROSISSIMI LIBERI BARONES, PATRES ITEM ACADEMICI CONSCRIPTI,**

Eccl<sup>ae</sup>

B

CAE-



CAETERIQUE DOMINI AUDITORES O. O.  
HONORATISSIMI, NEC NON A VOBIS, NO-  
BILISSIMI AC FLORENTISSIMI COMILI-  
TONES, eâ, quâ omninò decet, observantiâ, nec  
non humanitate maximâ modestè peto, ut dicenti mi-  
hi benevolentissimè ad tempus modicum adfitis!

Multas et gravissimas *Lubeca* vices subiit, à pri-  
mis inde seculis fatales et exitiales. Quas, quae sunt  
ab aliis prolixius expositae, enumerabo breviter, in-  
dagaturus potiùs origines, per tempora anteriora.  
Non hîc sufficit ad aevum regredi *Ottonianum*, sub quo  
amplificati limites Germaniae, omnisqve *Futia* &  
*Chersonesus Cimbrica* in ditionem venit nominis Ger-  
manici: Nec Patriae Scriptori suae *Saxoni* habenda fi-  
des, qui & *Ottonis M.* gloriae detraxit & victoriae,  
notatus acriter ab inclyto, de finibus Imperii, Aucto-  
re. Licet enim in proprietate Regni Danici Eccle-  
siae legantur constitutae Christianae, *Slieswicensis*,  
*Ripensis*, *Arhusensis* atqve *Ottoneswigensis*, tabulis  
Ottonianis testibus, ad annum à Servatore nostro  
nongentesimum, & octogesimum octavum: Tem-  
pora mutata tamen postmodò, & iura sunt, & isthoc  
adhuc aevo *Adaldagi*, Archiepiscopi *Bremensis* com-  
mendatum regimen locorum horum, & obnoxium  
clientelari lege Regnum Daniae Imperio Romano  
fuit. Sed & ante *Adaldagum* & Imperium Ottonia-  
num testimonio *Bremensis* Chronici, ab *Anschario*  
(quem *Ludovicus Pius* Imperator *Hamburgensium*  
Eccle-



Ecclesiae praefecit,) *Slesvicensis, Ripensis, Rotschil-*  
*densis, Lundensis, Upsaliensis, & Revaliensis* felicissi-  
mè fundata est Ecclesia per *Daniam, Norwagiam,*  
*Sueoniam, Grönlandiam, Islandiam, Scritfinniam,*  
(quis crederet? nî fidem faceret antiquus Codex;) &  
reflexo latere, per *Sclaviam, Stormariam,* (liceat con-  
ceptis uti verbis) *generaliter Nordalbingiam.* Res  
magna, fateor, difficilisqve ad credendum: nisi alio-  
rum etiam accederet auctoritas Annalium ex aliis, cum  
*Eginhardi, tùm Adami Bremensis;* Quibus addere  
*Bertinianos* licet Codices, & *Gualdonis Monachi, &*  
*Ramberti* scripta, à *Lambecio,* (proh olim *Hamburgen-*  
*si!*) edita: ne quicquam ex *Baronio* commemorem, nec  
non *Joanne Magno,* in historia *Gothorum Sueonumque.*  
Quis non inde colligit antiquitatem *incolarum Wa-*  
*griae* ac in eadem, propter proximam *Dithmarsiam,*  
priora sacra Christiani nominis, jam ante *Altenburgi-*  
*cum Marconem* (quem Pontificem *Oldenburgensem*  
primum nominat *Helmoldus,* non ingratiis *Adami,* in  
historia *Ecclesiastica Bremensi*) hûc illata? Ut recen-  
tiora omnia omninò illa sint, quae vulgò referunt  
ad *Vicelinum;* freti *Chronico* Episcoporum *Lubecen-*  
*sium,* publicato à *Meibomio,* cum aliis. Ad annum  
scilicet 1128. *Geroldus* docuit, post *Vicelini* transitum,  
sic verba habent *Chronici, de Suevia Sacerdos, Du-*  
*cis Henrici Leonis Capellanus,* quem *Diaconum* voca-  
mus nos. *Hic, postquam in sanctuario Altenburgensi*  
*parvo, unum tantum altare habente, per Vicelinum ae-*  
*difi-*



dificato mysteria explēsset sacra , Lubick transiens , in foro publico praedicavit verbum DEI & convertit Gentem. Nos quidem alibi , hoc est in Chronico Mindensi à Meibomio edito diplomate oppidum Mindensis dioecesis non ignobile Lubbekegowe , ditionem Lubecensem dixeris Latinè , in Saxoniae antiquae pagis deprehendimus. Qui tamen alius à Wagria est locus. Possit quoque suspicari aliquis , in Francicis annalibus Pitthoei publicatis operâ , ad annum Christi 775. Lietbecki , quod vocabulum Anonymus , in vita Caroli M. vates exprimit , cum aspiratione , nostris solitâ majoribus Hlitweki , idem esse , ac Lubecam ? cui tamen ego non subscripserim opinioni. Propiùs igitur ad nomen & originem Lubecae accedendum. Illorum miror fabulas Historicorum , aut Politicorum , qui à piscatore quodam Lub , vel Luba nomen inditum Lubecae putant. Atque utinam putamen non inseruisset hoc Continuator , aut compendiosus Commentator Jurispubl. Limnaei nucleo . Scriptores enim petimus , et dignos fide testes. Viro forti non pugnandum fabulis , sed tabulis , iisque certis. Illud eqvidem Wolfgango Lazio tantisper largiar , in pago piscatorum , circa annum Domini millesimum quadragesimum , à Gottescalco Rugiae ac Herulorum Principe , erectum castrum , ubi , nostrâ adhuc tempestate , sita est Lubeca , Bute quondam appellata : sed ab homine pauperculo , ac piscatore Luba nomen inditum , constanter nego. Neque non indignor , adeo confuse per-



perplexæque omnia referri, quando ad origines descenditur *Lubecae*. Sic laudatum supra Chronicon *Mindense* vetus tradit: *Adolphus Comes* (Schawenburgicus videlicet & primus) in locum venit, qui vocatur *Bucu*. Invenit ibi vallum Urbis desolatae, quam aedificaverat Tyrannus *Crucio*, atque insulam amplissimam, aquâ geminâ cinctam. Nam ex una parte *Travena*, ex parte altera *Wokenra* praeterfluit, uterque paludosam inviamque ripam habens. Videns ergo Vir industrius (Henrici *Lerbeccensis*, Monachi *Dominicani*, qui in aula *Comitis Schaumburgici* aliquandiu *Mindae* vixit, verba refero, non sequor,) portum nobilem & loci competentiam, (commoditatem dixeris) aedificare coepit illic Civitatem anno 1156, eamque *Lubeke* vocavit. Quam *Henricus Princeps Slavorum* olim construxerat. Transmisit nuncios ad *Obotritorum Principem Niclotum*, ut cum eo amicitiam componeret. Distinctè admodum origines *Lubecae*, ut videtur, tradidit *Chytræus*; sed videtur. Audiamus interim Historicum non infimi subsellii: Sunt in *Baltico Germaniae littore*, à sinu *Codamico*, in quem *Drava* se exonerat à dorso *Cimbricae Chersonesi* usque ad *Croni* (quem *Memelam* hoc tempore nominant,) ostium extremum, *Borussiam* à *Livonia* dirimens, Urbes circiter duodecim maritimae, potentes, amplae, copiosae, frequentiam populi, splendore aedificiorum, commerciis multarum Gentium, honestis legibus, judiciis, disciplinâ, Ecclesiis & studiis literarum ornatae: *Lubeca*, *Wismaria*, *Rostochium*, *Sundia*, (*Stralsundia*)  
C Gryphis.



*Gryphiswalda, Anclam, Stetinum, Colberga, Stolpa, Dantiscum, Elbinga, Königsberg.* Quarum prima, versus occasum, caeterarum omnium corona & caput est, *Lubeca*: exiguum olim oppidum ad *Suarta*, & *Travae* confluentem, veterum *Wagriae* Dominorum, gentis *Henetae* sedes: deinde aliquantò superiori fluminis parte, inter *Wagenissam*, & *Travam*, in colle, ab *Adolpho* *Holsatiae* Comite, sub *Conrado III.* Imperatore, exstrui coepta, variis fortunae atq; Dominorum vicibus initio usa. *Adolpho* enim Comiti *Holsatiae* potentissimus *Saxoniae* *Bavariae*que Dux, *Henricus Leo*, eam extorsit: qui Episcopi *Altenburgensis* sedem transtulit *Lubecam*, circa annum 1162. Proscripto autem *Henrico Leone*, Urbs Imperii à *Friderico Barbarossa* facta: (anno 1186.) Arcem Comitum *Holsatiae* ad *Travam*, & vectigalium immunitatem, fluminisque usum liberum ab *Adolpho III.* Comite *Holsatiae* redemit. (anno 1190.) Deinde (anno 1193.) in *Henrici Leonis* ex *Anglia* reversi potestatem rediit. Cui *Adolphus III.* ex *Asia* redux, eam eripuit vicissim: (An. 1200.) quo denuò per *Danos* ex *Holsatiâ* ejecto, in *Canuti*, *Danorum* Regis, ditionem *Lubeca* pervenit. Hujus Praefecti cum insolentiùs imperarent, arte ac vi ejectis *Danis*, (an. 1226.) *Lubecenses* sociorum Principum auxiliis (*Alberti I. Saxonis* & *Adolphi IV.*) adepti sunt libertatem: caesis praelio memorabili ad *Bornhovedam* *Danis*, *Friderico III.* Imperatore. Haëtenùs ad veritatem, & *Lubecae* dignitatē speciosè atq; laudabiliter *Chytraeus*, non sufficienter,



ter ad antiquitatem, & origines vetustas egit. Neq; enim  
verus Conditor expressus neqve prisci memorati inco-  
lae, nec nominis *Slavonici* exposita origo ibi. *Henricus*  
*Wolter* in historiâ *Bremensi*, ad annales provocat Sla-  
vorum; dum à *Slavo* quodam **LUBEMER**, insigni  
Duce, Civitas *Lubeca* derivatur: Certo certius, origi-  
nem debere *Slavis*, id est *Henetis*, aut *Venedis*, non  
*Vandalis*, ut vulgò scribitur, *Lubecam*. Multa sunt Sla-  
vorum nomina & oppida, quae syllabae prioris partem  
*Lub*, *Lob*, *Luib*, *Leb*, non nisi linguae debent Slavicae.  
*Luba*, Rex *Gothorum*, aliunde notus: Civitas Saxoniae  
inferioris in *Mindensi* agro *Lubeke* (à qua *Lubbekegowe*)  
dicitur. In *Mindensi* quoque dioecesi *Lubka*, ordinis  
Cistertiensis Monasterium occurrit. In *Silesiae* Du-  
catu *Lignicensi* *Luben*, ut *Lübena* in *Lusatia inferiori*,  
velut *Lauben* in superiori, & *Lebusa* municipium no-  
bile *Saxoniae*, sed *Marchiae* nobilius, vicinum *Franco-*  
*furto*, testimonio *Dithmari*, oppidum antiquum *Mis-*  
*niae* vocatur *Lubenicum*, & pagus *Lobic* sive *Globic*,  
propè *Wittebergam*, in Electorali ditione: sicut in  
*Massovia* *Lubach*, Archiepiscopi *Gnesnensis* sedes: ne-  
quid memorem de *Lucca*, sive *Lubka*, oppido *Lusatiae*  
minoris. Terminatio in *beke*, *bac*, aut *becke*, nisi pla-  
ceat *Slavonica* appendix, *Gothicam* originem agnoscit:  
*Cimbricam* *Goropius Becanus* mavult. Plurima *Ger-*  
*mani* *Gothica* vocabula in usu servant: inde *back* vel  
*beck* designat rivum *Gothis*. Optimè *Meibomius* ad  
*Harlinsbergam* notis: dicta est *Eimbecka*, hodiè *Me-*  
tropol-



tropolis Ducatus *Grubenhagenensis*, à rivo. Rivus enim, qui eam interluit, nostratibus *ein bäck*, communiter *bach* est. Dialectus variat Germaniae superioris ab inferiori. Ibi salutatur *Cumbach, Anspach, Auerbach, Sultzbach, Schwobach, Laubach*. Hic pronunciat *Eimbeck, Schwanbeck, Wolbeck, Reinbeck, Barbeck, Harinbeck* &c. Floruerunt à celebritate *Slavi* nominati, per *Poloniam* utramque olim: mari pariter ac terrâ inclytus potissimum Rex *Visimirus*. Princeps *Polonorum* hic, ex *Lechi* pronepotibus extendit famam longè diditam. Navali quoque praelio, fortunâ secundante, vicit strenuè *Sivardum*, cum ingenti classe, occurrentem Regem *Daniae*. Polonicarum rerum Scriptor nobilis, *Guagninus Alexander*, Auratus Eqves, peditum Praefectus, prodidit in vita *Visimiri*: Insulas in *Daniâ* & *Rugiâ* complures occupasse ipsum, & praefidiis communivisse. Unde ad haec usque tempora *Wismaria*, à *Wisimaro*, populosa item & opulentissima *Lubeca*, celeberrima ad mare condita Germanicum, *Gedanum* Urbs, adversus *Danicas* excursiones. Ordinis *Ignatiani* Pater *Ines*, in *Lechiade*, id est Inscriptionum opere, ad *Visimiri* refert titulum:

IN MARI PRIMUS VISUS VISIMIRUS,  
 IN ELEMENTO LUBRICO VESTIGIA IMPRESSIT SOLIDA,  
 NEC ARAVIT FRUSTRA LITTUS:  
 VISIMARIAM, DANTISCUM, ET LUBECAE MOLES,  
 ARCES VANDALICAS ET URBES CONDIDIT.  
 DANOS MARIS DOMINOS CAPTIVOS DUXIT VISIMIRUS,  
 XERXES HELLESPONTO DANICO INJECIT VINCULA,  
 FEROCIAM NEPTUNI SUPERAVIT &c.

Neque



Neque est, ut pudeat *Lubecam*, Regum è Polonia conditorum; sicut nec *Wismariam*, *Dantiscum*, *Bremam*; quae vox, *Slavicae* originis, designat onus. Neque falso gloriatus est *Cromerus* in Polonicarum rerum opere: Complures arces alias & oppida iidem Duces, *Vislaus*, *Sobeslaus*, *Vismirus*, & eorum posterii aedificârunt, & vernaculis suis vocabulis appellârunt; è quibus sunt *Brema*, *Bucovecia*, quae à Germanis (hodiè) *Lubeca* vocatur: Tametsi *Lubecae* quoque nomen *Slavicam* etymologiam redoleat. Haec ille. Possem, AUDITORES O.O. HONORATISSIMI, exspaciari ampliùs, & *Suartones*, *Nuithones*qve, *Taciti* jam aevo, in his oris notos, memorare. Sed cum supra apposuerim, non recoquam hanc crambem. Istud observasse satis fit, diversa nomina, diversa loca, fata, & periodos expertam varias *Lubecam* esse. A *Suartonibus* vetustis, fluvioqve patrio, appellabatur primùm *Suartou*, à *Slavis* invadentibus *Lubeca*, *Lubka*, à *Lubika*, corruptè *Bucu*, sive *Buccovv*. Est & *Bucko* in *Saxonia* superiori pagus, est in *Anhaltino* quoque agro: sicuti ad *Muldam Misniae*, *Büche*. Saepiùs incensa, saepenumero direpta, diruta, castellum translatum aliò, non retulit unius conditoris nomina constanter. Veteris *Lubecae* ad *Suardoniam* erectae mentionem facit manuscriptus, in membrana *Lubecensi*, Codex. Transeo, quae vel de *Bute*, vel *Crucone*, *Slavis* denotante fortem, referunt nonnulli ex *Helmoldo*. Fata & periodos fatales si recenseam *Lubecae*, dubitare liceat, an similem in ullâ

oibem

D

Regio-



Regione Civitatis faciem mutatam toties , quoad e-  
mendatissima prodiret, invenire possis? Tantaemolis o-  
puserat! Ne quidem de antiquioribus commemorem,  
â *Godofchalco* auspicabor. Arcem hic erexit ibi, ubi ho-  
diè *Lubeca* sita, anno Servatoris M. XL. Obotritorum  
Regulus ac Herulorum fuit , qui *Henrico* filio reli-  
quit ampliorem loci constitutionem ; posteaquam an-  
no, post *millesimum, sexagesimo* est interfectus. *Rugia-  
ni* semel iterumque irruentes, oppidum cum castro de-  
moliti sunt, *Helmoldi* fide. Sed nec quicquam adhuc de  
Tyranno barbaro *Crucone* dixi: neque de *Nicloto* Prin-  
cipe Obotritorum : qui posterior excidium minatus  
tantum non exitiale fuerat *Lubecae*. Pluries destru-  
cta, restaurata pluries profecto est â Comite *Adolpho*  
*Schauenburgico* secundo, tertioque. Anno, post millesi-  
mum, centesimo quinquagesimo quarto gravius incen-  
dium perpeffa, Comite invito quidem, sed consentien-  
te tandem, subiit *Henrici Leonis* potentissimum Impe-  
rium. Novi in annorum numero Historicos non  
convenire , mihi tamen potior habetur lapidis su-  
perliminaris Ecclesiae Cathedralis inscriptio. Lo-  
ci quippe hujus Dominus vocatur ibi *Leo*. Ab hoc  
imperante nova coepit incrementa , propter mer-  
cimoniam in mari Baltico vicino , & indulta specio-  
sa privilegia. Episcopatus facta etiam accessio,  
quem ab *Aldenburgo* (*Stargardiam* vocabant lin-  
gvâ suâ *Slavi*, ) transtulit *Lubecam Leo*. Ad invi-  
diam Urbs crevit, & Saxoniae creavit Duci odium non  
medio-



mediocre, inter prosperae fortunae tot irritamenta. Pilae instar huc illucque jactabatur Leo: semel iterumque illi dies ab Imperatore dictus. Cum non compareret, propter insolentiam, aut contumaciam proscriptus est à *Friderico I.* Caesare: *Lubeca* restituta Comiti *Adolpho III.* ac beneficiis ornata amplioribus à *Waldemaro* simul Rege *Daniae*, qui arma juverat Imperatoris. Anno, supra millesimum, centesimum, octogesimumque quinto, Urbs à *Friderico I. Barbarossa* per obsidionem & deditionem capta, membrum nobile Imperii Romani vasto corpori accessit primum. Autor Chronici *Slavorum* ita exprimit: *Imperialem Fridericus I. Lubecam fecit, & quòd esset caput Civitatum omnium maritimarum, & quòd Consulares eorum aurum ferre possent, & quòd omnes de Consulatu essent in consilio Imperatoris in perpetuum.* Quae ut à pluribus Historicorum confirmantur veterum, sic à *Lambecio*, in *Originibus Hamburgicis* nitidiore stylo exprimuntur. Ecclesiae profectò Cathedralis sedes huc translata, ex provinciali oppido Imperialis Urbs *Lubeca* facta, privilegiis amplissimis ornata, *Waldemari I.* Regis *Daniae*, amici Caesaris, fama aucta indies, accessiones fecit tantas, ut succumberet *Henricus Leo*, & res *Lubecenses* praevalerent. Magnificè *Albertus Krantzius* in *Commentariorum* libro septimo *Saxoniae*, depraedicavit ea. Longum esset, nec unius clepsydrae negotium, hinc percensere singula, Imperatorem inter ac *Henricum Saxonem*, reciprocata odia, & ex his fata.

Per-



Pertinet materies haec aliorum, ac peculiarem sibi locum vindicat. I Bremenſis Conditor historiae *Henricus Wolter* aſſerit, Leonem Saxonem donaſſe Civitati Lubecenſi villas omnes, omniaque circa, nec non infra *Haimbecke*, praedia, & rivulum cum paſcuſ, cum pratis, agris & teloniis. Monetam etiam & Nundinas ut *Bremae* feria ſecunda, & ni fallor, quinta conſeſſiſſe. Cumque haecenus in urbe Satrapae, quemadmodum judicia in villis locum mererentur: ſic impoſterum ſex Conſules, qui alios ad ſe duodecim vocarent, ordinavit, ut egregio praeeſſent publico. Incendium videlicet, tot repetitum vicibus, exhauſerat *Lubecam*, ut, niſi meliori reddidã ſpe, Cives nollent inſtaurare domos ampliùs. Dux igitur, ſed proprium in uſum, juribus cohonestavit Urbem, & per Aquilonis Regna exteris immunitatem publicavit, ad commercia invitans & emporium. Poſt tot viciffitudines fortunae, quam novercam poſtea expertus eſt Henricus Dux, *Adolphus IV* revocatus in Holfatiam, adverſus *Waldemarum* alterum, Danorum Regem, memorabili ad *Bornhovedam* ſuperavit praelio. Tantoperè dejectae vires Regis, ut *Nordalbingicae Saxoniae*, quam vocant, occupatione, omni Daniã excideret. Hoc tempore *Demynum* oppidum Orientalis *Slaviae*, quod tunc Danorum quoque paruit praefidio impoſito, *Lubecam* in excutiendo jugo ſeqvebatur. Mox & *Rugii* aſſeruerunt ſe in libertatem, & *Obotritorum* Princeps *Burewingus*, ſigna extulit victoriae cum pluribus:

Quod



Quod argumentum nobile, in finibus Imperii, praeclaro opere, *Conringius* exposuit. Sub illud temporis longae-  
vus Cantor Lubecensium octogenarius, Episcopus e-  
lectus *Borchardus* est, de Sercken. Qui cum à pluri-  
mis vix V. aut VI. superfuturus crederetur, XL. atque  
unum fedit annos, & Ecclesiam prudenter rexit. Se-  
culo, post publicatam DEI Hominumque consangui-  
nitatem tertio ac decimo adulto, *Lubecensis* Civitas  
incendium perpeffa novum, facta est ex lignea, & qua-  
liserat ante, lutea, felici metamorphosi lapidea. Prae-  
tereunda mihi multa hinc sub *Friderico* hujus nominis  
secundo Caesare imprimis gesta, ne vestra, PATRES,  
ATQUE AUDITORES O. O. HONORATISSI-  
MI abutar patientia, & texere annales videar. Pro-  
grediendum scilicet ad loci genium, commercia, &  
jura Patriae amplissimae, ne circa ejus tantum incu-  
nabula haerere cogar iusto longius. Cum *Hambur-*  
*gensibus* feliciori fidere confoederati *Lubecenses*, mox  
cum aliis, in *Vandalia* vicina, & per Septentrionem, Ur-  
bibus, eminuerunt brevi. Ad *Lubecam* maris *Baltici*  
vocari clavis aliqua Imperialis potest *Travaemundae*  
portus, Urbi, imò toti *Aquilonis* Orbi, mercium infe-  
rendarum causâ, commodus; commodior, si propius  
abesset, alveoqve altiori & validioribus praefidiis com-  
muniretur. Sed à moenibus & portu tamen vela mit-  
tens ac recipiens ad maris ostia, deducit naves, sumti-  
bus gravissimis reficiendus saepè. Hinc in *Daniam*,  
*Norwagiam*, *Sueciam*, *Livoniam*, *Russiam*, & quicquid  
E patet



patet ampliùs, excurrere navigiis concessum. Sumen,  
imò horreum *Germaniae Lubecam*, si à vi externa, bra-  
chio potentiore asseratur, iure quodam dixeris. Et  
fuit olim per complura secula, cum foedus Hanficum,  
de quo dicendum nobis postea, floreret ad invidiam,  
„metumque hostium. Deliberationis maximae nego-  
„tium profectò est, an non aerario communi & Im-  
„perii impensâ publicâ, *Lubecae* consulendum, & per-  
„petua tuenda navigatio, per Mare Balticum, Domini  
„illius, contra quemvis invasorem vindicandi gratiâ, ex  
„usu fiet? tot annorum certè, imò seculorum docuit  
historia, quid ponderis conferre *Hansica* Societas po-  
tuerit, à quorum staret partibus. *A Galliarum, An-*  
*gliae, Daniae, Sueciaeque* Regibus & Autocratore  
*Russorum* quoties sunt missi Oratores quondam,  
ut ambirent, aut ornarent privilegiis commune  
foedus! Prostant tabulae splendoris plenae, per quas  
pateat, quo loco habita à *Daniarum* Regis fuerit Mi-  
nistris: Nos Consules, Societas ac Senatores Civitatum  
*Vandalicarum ac Borussicarum, LUBECAE, Rosto-*  
*chii, Stralsundae, Wismariae, Gryphswaldiae, Stettini,*  
*Colbergae, Nystargardiae, Coloniae Agrippinae, Hambur-*  
*gi, Bremae; tum Livonicarum, Rigae, Torpati, Revaliae,*  
*Pernoviae; nec non earum, quae ad Austrini maris sinus,*  
*inque Hollandia, Zeelandia sunt sitae. Campi, Daventriae,*  
*Ultrajecti, Zwollae, Hasselti, Gröningae, Zutphaniae,*  
*Brielaë, Middelburgi, Armudae, Hardewici, Ziriczeae,*  
*Elburgi, Staverae, Dordraci, Amsterdami, profite mur*

ac



ac testamur publico hoc instrumento, inter Nos & Regni  
Daniae Senatores, Regni Praefectum, aliosque Equites  
ac Regni Nobiles armigerosque conventum amicè, dissi-  
diaque & bella omnia composita utrinque esse ac placata.  
&c. Cumque plures postea huc accessissent Urbes,  
Caput formidabile effectum, exterorum atque vicino-  
rum Principum in se convertit oculos, aut odia. Sed  
mitto isthaec, infra pluribus commemoranda, & ad fi-  
tum Patriae respicio. Peropportuno reaedificata lo-  
co ab antiquis est restauratoribus, ad fluvios praeter-  
labentes, *Travam* atque *Wagenitz*, quem olim angu-  
lum, ad finum proximum spectantem, *Lubec*, quasi  
*Lobeck* statuit vocatum, manibus Imperatoris corona-  
tus vates in Germania, *Conradus Celtes*. Etymon hic  
tamen non repetimus, agri potius fertilitatem DEO  
& Naturae ferimus acceptum. Ab Oceano quot  
trans marinae merces, vina, grana, panni, pisces, ostrea,  
exuviaeque animalium pellitae! solum pingve nihilo-  
minus cum salo certat, pascuis, nemoribus, frumentis,  
hortis amoenissimis arboribusque. Munimenta Ur-  
bis valida, plateae latiores, aedificia, si tantum, quan-  
tum possidet *Hamburgum*, obtineret, non cessura  
schemate externo. Super omnia reliquiae Teutonici  
candoris in hac sede posuerunt larem. Religionis mi-  
scellanae abhinc chaos, Sacerdotii prae multis Civi-  
tatibus Imperii, cultores sanctiores, incolae. Structuras  
Templorum, Turrium, Curiae, Gymnasii, Bibliothecae,  
Armamentarii, Coenobiorum, Granarii, Orpha-  
notro-



notrophiorum, Ptochotrophiorum, aquaeductus,  
non attingimus, mirati magis liberalium ingenio-  
rum, studia & Mercatorum. Fuit, imò fuit tem-  
pus, quo prae caeteris omnibus Vandalicis, sed &  
Germaniae ac Saxoniae inferioris Urbibus erigeret  
*Lubeca* caput. Movit ea dignitas Imperatores ipsos,  
ut subinde aliis novisque beneficiis mactarent *Hansae*  
*Teutonicae* Archivarium. Duo maximi Augusti  
sanè *Fridericus I.* *Carolusque IV.* splendidâ praesentiâ  
celebritatem induerunt Urbi. Decem ibi commora-  
tus dies *Carolus*, ceremoniâ solenni, quam & pom-  
pam allegavit *Kranzius*. Jam appropinquans Civi-  
tati cum Augusta, sublimi vectus eqvo; aderant ten-  
toria auratis pannis sericoque intertexta: quatuor Ju-  
venes ex robustissimis, insignes vestibus, insignia haec  
bajulabant. Imperatorii jumentum frenum gemini Pro-  
consules, à latere venerabundi, apprehendere, Impe-  
ratrix eqvum, propter, frena moderari duo Consules,  
papilionem quatuor portare Juvenes nobiliores, ante  
omnes eqvo vectus Consularis Vir, portarum claves  
perticâ praeferre, evidens domini Imperialis signum.  
Suis functi Principes officiis: repraesentabat *Otto* sce-  
ptum *Marchio Brandenburgensis*: Patris vicem su-  
biens, *Saxoniae Albertus*, Ducis filius, Imperialem o-  
stentabat enssem, proximus Augusto. Archiepiscopus  
*Coloniensis Fridericus* pomum aureum, Imperatrici  
propior, gestabat. Illam suo quisque ordine sunt Prin-  
cipes secuti, *Iustus Dux Meraniae*, *Albertus Lunebur-*  
gicus



gicus & *Mecklenburgensis*. Ad ingressum portae primum, Civium utrinque steterant Uxores, cultioribus ornatae indumentis, ad humillimè excipiendum Hospites Augustiores. Symphonias chori Musici certabant, cum hominibus Religiosis comprecantibus; Crux Domini praelata, osculo honorabatur: pompa per celebriores vias solennissimâ, ad Cathedrale deducuntur Templum. Sacra peraguntur reliqua, & his finitis, in hospitium magnificè paratum, factus transitus. Adstabant in conspectu Caesaris *Burgimagistri*, (liceat sic salutare eos ex Historico) cum cernuis Consulibus. Hos Imperator intuens: NON MEDIO-CRES, inquebat, VOBIS GRATIAS PERSOLVIMUS DOMINIS LUBECENSIBUS; QUI IMPERII HONORIBUS, PRO DEBITO OBSEQUIOSI NOS MAGNIFICE NUNC EXCEPSTIS! VENIMUS, VIDERE URBEM VESTRAM, VULTUS VESTROS, VESTRIS GRATULANTES PROSPERIS SUCCESSIBUS, COOPERARI HIS STUDENTES, COMMENDATIOREM HABITURI URBEM HANC INPOSTERUM, QVAE TALES EDAT VIROS, DIGNOS CAESARIS CONSILIO. O incomparabile elogium! O vocem, duplici triumpho dignam, quem mox tertius sequatur! Habet adeò, cur sibi gratuletur nobilis *Lubeca*, quòd à tot tantisque, tanto loco habita, affectu tanto culta sit Heroibus. Nam Caesar *Fridericus I. Leonis Saxonis* ereptam manibus

F

Impe-



Imperialem, è provinciali, Urbem fecit. (Anno 1182.) *Fridericus II.* postea interceptam, à potentiâ *Waldemari II. Regis Daniae*, auxilio vicinorum Principum liberavit, & Imperio asseruit Romano Urbem, (anno 1226.) beneficiisque novis, post priorum confirmationem, auxit: ut ab eo tempore, quantumvis duo eam hostes gravi premerent, terrestri ac maritimâ obsidione, Urbs Imperii permanserit. Nec temerè pronuntiavit excellenter meritis de *iure Lubecensi*, *Mevius*, in operis Juridici principio: LUBECAM, SANGVINE AC GLADIO ACQUISIVISSE PARITER ET CONSERVASSE PRIVILEGIA. Nec dubitabit unquam usquam, qui & praelium ad *Bornhovedam* ingens cogitaverit, pro *Lubecensibus* auspiciatissimum, & quae *Albertus Cranzius*, *Lerbeckius*, nec non *Stadensis* Abbas memorarunt; & his singulis accuratior, Vir sancti muneris, ac famâ inclytus, *Dn. Jacobus à Mellen*, in antiqva, media, & recentiori historiâ suâ Lubecensi, quam Seniori venerabili *Krechtlingio* inscripsit. Hujus praeclarissimo labori addimus compendium Historiae Lubecensis, à *Kirchringio* & *Müllero*, ante hos XX. quasi annos, cum laude editum: ut eò nobis provocare & inde observare liceat, quot fatis fuerit obnoxia *Lubeca*, propter tot incendiorum rabiem inprimis. Diis immortalibus paganus Scriptor *Florus*, ipso cladis nomine, quâ eos *Galli* affecerunt *Senones*, exsolvit gratias: *Pastorum casas*, inquam, *is ignis, illa flamma, paupertatem Romuli ab-*  
scon-



*scodit. Quid incendium illud egit aliud, nisi ut destina-  
ta hominum & commerciorum domicilio Civitas, non  
deleta, non obruta, sed expiata potius & lustrata videa-  
tur. Adeò difficile erat Vandaliae dare Caput, foe-  
deriqve Hansico. Nec enim coalescere hoc prius, quàm  
exacto tertio, post decimum à nato Servatore seculo,  
Alberti Austriaci imperio, in unum bonâ fide corpus  
potuit. Commissum moderamen, non dissentiente  
Caesare, à tot in Angliâ Londini, Flandriâ, Norwegiâ,  
Russiâ, Mercatorum suffragantibus Collegiis, Lube-  
cae, numerusqve Urbium Vandaliae, è primariis Ham-  
burgum, Rostochium, Stralsundia, Wismaria, & Lunda-  
burgum floruit. Ex eo domi pariter forisqve arduae  
res gestae, moles turrium exstructae plures, aedes li-  
gnae, stramineaqve tecta, in lapidea refecta, latiori  
transitu, figurâ rectiori, platearum ambitus, illustra-  
mentum peperere splendidum. Familiae Nobilium  
illustres ex Holsatiâ, Stormariâ, Wagriâ, coëmtis pas-  
sim domiciliis, Lubecam concesserunt, & Equestria  
pagorum atqve municipiorum praedia, dignitatesqve  
urbi attulerunt. Ab Alberto & Erico Saxoniae Duci-  
bus, Mollnense oppidum, nec non cum Praefecturâ,  
Castrum Bergedorpiense pignori opponebantur. Im-  
mittebat mare Balticum, ac dimittebat vela; cum na-  
vibus, res exterorum importatae, per Germaniam dis-  
pensabantur. Induit Lubeca claritatem tantam, ut in  
oculis ac ore maximarum veheretur ac ferretur Pote-  
statum. Movit fama Carolum IV. Imperatorem, ut  
cum*



cum *Isabellâ suâ* magnificentissimâ ingrederetur pom-  
pâ Urbem, ceu jam suprâ indicavimus. Quis igitur mi-  
retur, si dicamus, Urbium, in angulo isto littoris *Bal-*  
*tici*, Coronam & praesidium Imperii *Lubecam*, *Ferdi-*  
*nando II.* commendasse *Wallensteinium*; nec tot orna-  
tam frustra beneficiis ab aulâ Augustissimorum Cae-  
sarum fuisse. Ut haec singula exponam, instituti non  
permittit ratio; enumerare potiora liceat. *Jus Lu-*  
*becense* ipsum loquitur, non e quidem in aliquâ *Rolan-*  
*di Statuâ*; quam Civitates jaçant aliae, Imperiales et-  
iam non paucae, sub imaginariâ umbratilis quando-  
que potestatis formâ. Caveae inclusus, qui apud *Hal-*  
*lenses* est, non prodit, nisi quando criminale obtinet  
judicium. *Nordhusanus* atque *Halberstadiensis* non pa-  
lam in foro est, sed ad Curiae parietem inclinât. *Mag-*  
*deburgensis* & *Bremensis*, medio superbiunt in foro;  
*Brandenburgensis* auro quoque radiat. *Belgerensis* atque  
*Servestanus*, veteris vestigia ostentat famae. *Havensle-*  
*viensis* omnium maximè conspicuus, ex eqvo veluti  
jus dicit. *Göttingensis*, caeteris ferè religiosior, in Tem-  
plo, inter Divos Divasque sedem meruit. *Lubeca* ri-  
det simulacra Legum atque libertatis talia. De suis  
*Tacitus Romanis* scribit: *Apud nos Imperii jus valet; ina-*  
*nia transmittuntur.* Non inter maenia, nec intra la-  
pides duntaxat aliquod jus *Lubecense* clauditur: reda-  
ctum in Scripturam, à quâ coepit Curia, ad eam so-  
lam non restringitur; sed usu atque imitatione evaga-  
tum latius, implevit Civitates quoque exteras, in  
Pome-



*Pomeraniâ, Megapoli, Saxonîâ inferiori, Holsatiâ, Livoniâ*; quae sub illo nomine responsa capere, aut reddere, pro se suisque non dedignabantur. Fuisse etiam tempus, quo jus *Lubecense* in *Saxonîâ Superiori* obtinuit, conditio haec arguit, proposita *Job. Friderico Martyri, Sax. Electori*, capto, ut renunciaret *Juri Lubecensi*, *Scipio Amiratq* commentationibus in *Tacitum*, observat. Ad formam, veluti ad normam *Lubecensium* statuta propria, consensu comprobârunt mutuo ceterioris *Pomeraniae*, omnesque *Megapolitanae*, omnes sub *Episcopatu Camminensi*, *Orientalis Pomeraniae Borussiaeque* Civitates multae. Non quòd *Lubeca* in has quicquam juris habeat; sed quòd ex receptionis voluntate liberâ, necessitas sit introducta, observandi id, quod semel placuit. Quis dederit auctoritatem, quaeris? quaero, quis vim legis consuetudini tribuerit? jus Canonicum, profectum à Pontifice, à quibus non Ordinibus receptum est, ut obliget! Jam ante plura secula à *Stralsundensibus, Rostochiensibus & Vismariensibus*, *Lubecam* appellatum esse, *Mevius* laudatus supra, sed laudandus nunquam satis Vir, idemque juribus gaudere Principum Imperii, *Lubecam* in epistola, praeclaro operi praefixâ, docet. Nam ut Caput & Corona inter Urbes dudum extitit *Vandalicas, Lubeca*; ita coluerunt eam aliae exemplar morum, actionum arbitram, magistram juris, & commerciorum cum Archivoy Principem. Quis igitur jus Nomotheticum hoc non agnoscat? cum & Curia Imperialis observare ordinem in

5A)

G

iudi-



judicandis, *Lubecensium* qui juribus & privilegiis utuntur, soleat. Ac in Albo Ordinum Imperii *Lubeca* inter IV. Imperiales Urbes *excellenter* numeratur. *Arnoldus Lubecensis* autor est, jura *Sufatensia* à *Friderico I. Lubecensibus*, Imperatorem implorantibus, concessa quidem; neque tamen dubitandum, juri *Wisbiensi* nautico deberi multa. Quod in corpore humano anima, id in re benè constitutâ publicâ, post sanctitatem Legum, purior Religio, ad mentem informata Numinis, censeferi debet. Fallor! an hâc parte cùm vicinis, tùm remotis plurimis, ambigam jam dudum palmam reddidit *Lubeca*. Dignitas in pretio Eruditorum nomen, Sacerdotium honore singulari colitur. Invenias inferioris Urbes ordinis, in quibus susque deque Ministerium divini cultus, quasi hominum (ut *Gellianâ* voce exprimam) sint postremissimi, habentur à Senatu. Formam Reipubl. Aristocraticam vocabimus, (dum summae rerum praesunt Optimates:) Consules leguntur à Senatu, (non ut numeravit *Oldenburgius* XII. sed IV.) quos inter literis addicti tres, Mercator quartus; ab illis & Senatu Syndici, ex Patriciis videlicet ac Mercatoribus adjunguntur, quibusque, ob prudentiam & merita Mercatores; nullus ordinariè recipitur ex numero, ut alibi, Opificum. Consulta Senatoria & Cives obligant, & alios subiectos. Magni equidem tumultus excitati à seditiosâ intemperie quorundam vulgi tintinnabulorum, (Demagogos *Aristoteles* vocavit,) seculo adulto semel iterumque hoc non tantum, sed imprimis

(Añ.



Anno 1416. & 35. seculi superioris. Intra compositionis leges nihilominus redacti motus excedentes, & sententia auctoritate Caesaris, pervicit pro Senatu. Juribus ornata eminentiore gradu & Regalibus *Lubeca* sed paucissimis indulta, de non provocando ad Superiorem, arguit sublimitatem. Florenorum summa aureorum nempe XL. olim erat, sed extensa ad 500. aureos postea à Rudolpho II, infra quam non licet aliorum appellare *Lubecensibus*. Jus praesentandi, vicibus alternis, Assessorem Camerae Imperiali, cum Principibus commune multis, sed quotae cuique simul Urbi! Oratores mittere ad Reges potentissimos in *Galliam, Angliam, Daniam, Sueciam, Russiam & Borussiam*, à pluribus hinc seculis negotium *Lubecae*, propter mercimonia maritima. Cum illis aliisque Rebus publicis & Civitatibus ferire foedera, vel sola *Hansica* societas pro admiratione sit. Hoc tantum signo argumentum, non amplifico; nec, quâ auctoritate stabilita vetus *Hansa* sit, hic explico; cum propter dignitatem sui gaudeat peculiari studio scribentis. Multa etiam invitum praeterire cogor, dum Orationis contrahenda vela sunt, ne videar injuriosus in splendidissimam Panegyricum, prolixitate dicendorum. Transeo jus vicinorum fluminum, stagnorum, vectigalium: Praetervehor *Travaemundorum* portum. De negotiantium Collegiis, ad diversas orbis plagas, nihil adhuc memoravi; dum potissimo habentur loco *Scandienses*; ne de reliquis per maria, per terras exteras proficiscentibus, quid addam. Nota



ta sunt *Insignia*, concessa Urbi, *biceps Aquila*, in campo niveo rubroque, hastis militaribus, Coronae aureae innexis, vel innixis, ad perennem gloriam tributa ab Imperatore *Friderico Barbarossa*. Solent, qui insidiantur dignitati Nobilissimarum è Patriciorum sanguine familiarum, supercilio iniquo fastidire, aliqui in municipiis & praediis avitis educati. Sciant illi, in Societate *Lubecensium* Generosorum, Arte pariter ac Marte strenuos, antiquitate armorumque exercitiis nobilitatos olim atque nunc occurrere. Non priscis solum, sed hodiernis etiam temporibus famigeratissimi DORNII, WICKEDENII, BRÖMSII, KIRCHRINGII, LÜNEBURGII, WAEDEKENII, BORNEFELDII, DASSELII, PLÖNNIESII, HÖVELII, PROCERES, PATRONI, NECESSARIIQUE MEI VENERANDI; & quis enumeraret caetera ingentium meritorum nomina? In summis Regum Principumque Aulis, in Equestribus hinc, illic certaminibus, se strenue praestiterunt, ab Imperatoribus non parum aestimati haecenus. Longissimum enumeratu foret, *Attendornios, Bardewicos, Bramstedios, Brewaldios, Calvios, Crispinos, Damios, Ebelingos, Finckios, Garlopios, Holkios, Ilbornios, Klingenbergios, Köleros, Konsteinios, Morkinchios, Münchhausios, Parsevalios, Pirmontios, Todios*, ex vetustissima Nobilitate, togâ pariter & sago quondam inelytos, referre. Ne ad prisca literarum lumina respiciam, ut brevitatis amor, ita splendor efficit recentiorum: quae imprimis Patriâ, vel  
offi-



officiis amplissimis, *Lubecae* magnam gloriae partem debuerunt: Ex Theologis *Bottfaccus*, *Hanneckenit*, *Hunnus*, *Müllerus*, ( qui *Rostochii* absolvit vitae cursum, ) *Pfeifferus* ( quem conservet nobis diutissimè Divinum Numen! ), *Pomarius*, *Schomerus*, *Siricius*, *Tribbechovius* & *Verpoortenn*. Ex Juris Consultorum ordine, *Carstenius*, *Gloxinius*, *Marquardus*, & *Pomereschius*: è Medicis *Fitzemannus*, & vicissim *Hanneckenius*, & *Neukranzius*: è Philologis *Bangertus*, *Gvaltperius*, *Kirchmannus*, *Mellenus*; quibus addere *Linstorpium* Mathematicum, *Copernicanum* liceat. Ne de *Schabbelio* Doctore, Syndico, à stipendiis magnificis illustri, quid dicam, ac deficeret medies sanè, si in omnium ac singulorum elogia digredi oporteat. Quin & modestia superstitum, ne auribus, aut oculis dedisse quaedam videar, impedimentum mihi objicit. Jam aurem praeterlapsa hora vellicat, ut desinam verborum, cum nil de Collegio Canonorum Principali, nihil de Episcopo Reverendissimo, nil de Illustrioribus tot membris tamen exposuerim. Peculiarem etiam materies haec laborem sibi vindicat. Germaniae antiquae genium in Civibus *Lubecae* deprehendi ajunt: Orbis atque Rerumpublicarum descriptor *Gedanensis*, ita judicat: *Vix ulla in Germaniâ dicetur Civitas, quae moribus & habitu veteres Germanos magis referat, quam haec. Habet equidem incolas simplicis & Germani candoris, qui sensa animi liberè eloquuntur, odia & amorem in aperto gerunt, vindictae altâ mente repositae, aliarumque, sub specie amicitiae, fraudum ignari sunt; ideò, quòd per naturam indolis illud facere non possint, quam quòd nolint. In sermonibus liberi & aperti, adeoq; perspicui sunt,*

H

nec



*nec obscuros verborum sensus amant. Erga peregrinos*  
pariter, & amicos multâ utuntur humanitate, quos  
pro Regionis consuetudine, epulis libenter accipiunt, &  
quae sequuntur. Poteratne veteris Germanitatis meliùs  
character exprimi in ullâ hodierni moris gente, quàm de  
Civibus *Lubecae Linda* prodidit! Haberem eqvidem,  
quae ad memoriam perennis gloriae, in componendis Re-  
gum atque vicinorum Principum disidiis, fortunâ oc-  
cursante *Lubecensi* pertinent, referre: sed quando talia  
*Chytraeus* fusè memoravit, & cum odio conjuncta quae-  
dam sunt, silentio involvam hîc. Multorum interim vi-  
ventium adhuc notitiae inhaeret, gloriosa actio, quâ per  
Legatos, mediam secutos viam, expiârunt iras *Suecici*  
*Leonis, Bremam* obsidentis, *Lubecenses*. Venio in por-  
tum, & ad sacram anchoram confugio, ut vota nuncu-  
pem devota, pro salute PATRIAE, salute CONSU-  
LUM, SENATUS, Civiumque: Servet DEUS CON-  
SULES MAGNIFICOS ac Praenobilissimos PROCE-  
RES REGENTES, ut in praesens, sic futurum! jubeat-  
que tardam illam esse diem, quae labentibus mortalis ae-  
vi spatiis, sit positura metam, aut in eam partem illatura  
jus sit, quâ mortales sunt! sub Vestro moderamine pax flo-  
reat! Religio stet inconcussa purior! SENATUS UNI-  
VERSUS, SACER ET CIVILIS sospes, felix, concors  
agat, pro securitate publicâ, & pro gloriâ Divini Numi-  
nis, perpetuò. Res-tota-publica incolumis, tranquilla,  
& florenti statu inclyta perduret! Tibi Regum Rex,  
haec cuncta in acceptis ferimus, Tibique commendamus  
unicè, à cujus bonitate & clementiâ proficiuntur haec,  
è cujus manu cumulatè talia fluxerunt. Propriam feli-  
citem eam cum expectatissimo sereno Pacis, praesta  
nobis, Pater benignissime! Sic illibatum, sic intemeratum,  
quem hucusque tuâ gratiâ defendimus, ad seros cul-  
tum tui Posteris servare adnitemur.

D I X I.







46

Q. D. B. V.

# ORATIO

IN

## LAUDEM SACRI ROMANI IMPERII

ATO

### PRINCIPIS

### CIVIT

# LUBER

SOLENNI RI

IN

### ELECTORAL

### ACAD

AUDITORIO

## GOTTH. D

Anno repar

D. XXIIX. FEBR

WITTEB

Typis CHRISTIANI K



70

